


Wassenberg, Eberhard

Fidi popularis prodromus Cromwellii  
ad Belgarum gemitum detecti.



Handschrift // / I25 B II c Br. 1657

Tillkomstår s.a. 1657

Digitaliserad år 2019



National Library  
of Sweden

Wassenberg

Hist.  
Syn.  
Pblit.  
(1657)  
1657

FIDI POPULARIS  
PRODROMUS  
CROMWELLII  
AD BELGARUM GEMITUM  
DETECTI

1657 ?

FIDI POPULARIS  
PRODOMUS  
CROMWELLI  
AD BELGARUM GEMITUM  
DETECTI



# PRODROMUS CROMWELLII DETECTI,



**C**Liverius Cromvellius, Britannia Nobilis oppressor, *Malignantis* acerrimus Protector, ab Europa reliqua toto Oceano, & vix Oceano secretus, Continenti imminens, vicinis omnibus, mari libero & Orbi gravis, vafritia dolisq; magnus, actionum æquabili varietate fecit, ut iam intelligi legiq; possit. Ante pauculos enim annos propè nullibi, nec ulli, nisi sibi notus, miris eventibus se aperuit; nec unquam magis nocuit, quam cùm nihil nocere posse neglectus videretur. Sic homo novus, & ex se natus, synceritatem humani generis aggressus, candorem obvium circumvenit, & continuus supplantator, per superiorum & æqualium ruinas, quasi è pulvere ad fastigium se erexit. Quod illi Polypo, qui nullum, syncerum equidem, colorem habet, nec ullum recipit, genuinum esse assiduitas fallendi luculentissimè demonstrat, cui contiguo cuivis corpori, certè Politico & morali, imponere coloris specie natura est. Callidissimus simulator versutiam in promptu habet, & cum præcipuo Ministro Gallico nunc colludens, regionem in larva exhibet, at Religionem ( ut post docebimus) in recessu premit, vir semper alius & nunquam. Hisce môtibus primò Fairfaxium, Leonem Vulpes, ceu Thomam nimis credulum, à gubernaculo submovit, se admovit, p̄d̄st, via juris, nullo jure, Regem *Carolum* evertit, ac soli hæcenus Cælo obnoxiam securi subjecit Majestatem. *Carolus* alterum, Primi filium & Regem, tota Britannia, veterano milite fortis expulit; quò sibi suoque filio Regale solium vacaret, ab initio jam certus destruere Monarchiam ut Rempublicam formaret, & de-

inde Rempublicam ut Monarchiam restauraret. In hunc finem per maria  
 per terras Regium sanguinem persecutus, cognatam Galliam recipere ac  
 fovere laborantem, & vix audentem, triennali piratica, nullo bello de-  
 nuntiato, sic exercuit, ut hæc, quæ olim terrorem latè trans Mediterrane-  
 um in Palæstinam, Ægyptum, Africam mittebat, ad extremum territa,  
 Henrici Magni Nepotem integrum, non sine insigni existimationis pro-  
 pria iactura, ad arbitrium urgentis (modestè loquar) destituere coacta  
 fuerit, & destituerit, quem Regis Catholici paratissimo quasi gremio re-  
 ceptum, oppressa Britannia exulantem, & hic exul oppressam Britanniam  
 vicissim (si quod mutuum fortassis hinc solatium) calamitosus intuetur.  
 Ab his naufragiis Stuartanis, arrogantia ventis turgens, Oliverius na-  
 vigavit; sed, ut ut hucusque clavum direxerit, & vela Favoniis imple-  
 rit, desideratum Caput Bonæ Spei obtinere non potuit, dum por-  
 tum Gratia & popularis auræ (quem clam, Nauta Procus, ceu spon-  
 sam deperit, & palam abnuit) cum celeusmate magis pandi am-  
 bitione subdolos expectat. Huc collimans, secusque simulans,  
 Lege Licinia Ebutiaq; tributis Comitibus, ceteriatis & curiatis procul,  
 autoritate propria, & A. litera relegata, non vir virum, sed vir viros & cen-  
 tum viros, in suum commodum verus Clodius elegit; sibiq; Patres non  
 Patriæ conscripsit, quibus usus & abusus, mox, ut scopulum non scopum  
 sensit, *Parlamenta*, per lamenta, *Quodlibetarius*, dissolvit. Et habet  
 tamen hic Caius Iulius, eversa Republica suamet potens, suos Antonios  
 assentatores, qui ad experiendum vulgi plausum, Coronam à vertice sæ-  
 pius ostentent; securus interim, seu Dictator, seu Imperator, seu Tribu-  
 nitia potestatis, seu Protector, seu Princeps, deniq; seu Rex vocetur, qui  
 regit, Regem, ac perinde esse qua parte corporis diadema gestet, quod ut  
 desit, rutilare saltem ac regnare vel in digito Coronam cordis. Habet  
 & hic Tiberius, qua parte nocet semper reconditus & abstrusus, magno-  
 rum nominum Libones Drufos, quos palam ornet & extollat & mox tol-  
 lat; ac suos etiam non modo Pisones Cneos & Plancinas, sed inferiorum  
 ordinum manipulares, qui Germanicos, Duces, Principes, Comites-  
 que, Augustæ Domui, Regali scilicet, sanguine vel affinitatibus in-  
 nexos, sædè exercent ac pessundet; & suos denique Latinios Latiare,  
 Catones Porcios Perillos Rufos, & Marcos Opsios, per quos, tectum  
 inter & laquearia velut abditos (sic enim omnia malè conscio sunt su-  
 specta) Titios Sabinos innocentes, & dumtaxat memoriam Germanici  
 (Domus Regiæ volo dicere) colentes, circumveniat perdatque, tam  
 in ambitione sævus, quam in sævitia ambitiosus. Habet & Cali-  
 gula

gula usque adeo inexplebilem hauriendi sanguinis orexin, ut, post Regium & nobilissimum, universo populo Romano (id est Catholico) cervicem unam crudelis voveat, quod securi jam infecta per compendium grassari queat. Non infeliciter hinc Sylla quispiam felix dixerit, huic Iulio non tantum multos Marios, sed & huic Mario multos Iulios, & Tiberios, & Caligulas inesse. Haud mirum itaque unum eundemque illum timere omnes qui ab omnibus timetur, & solius Martis impotentia ac potentia securus, Britanniam & Hiberniam in Bellerina Pharetra exarmatam possidet; qui in publico, privato, foro, Curia, numerofo milite stipatus, per eundem omnium Cœtui, in circo, viis regiis, Basilicis, delubris, & ubique præsens, commercium humani generis, verborum, sensuum interpret, ac prope cordium scrutator, rumpit, & qui uni exercitui (parcus rapaxque Cætera) per licentiam ac munificentiam indulget, haud ignarus quod si habeat, & qui habet, & quam diu habet Legiones habeat & regiones. Hisce, nec non & situ Angliæ, ac suis artibus confusus, Vnitarum Provinciarum Ordines offendit, & ante bellum infida pace plus bello nocuit, bellum pressit, dein expressit, ac post bellum, qui ante bellum etiamnum idem, quotidianam eorundem per patientiam, stupente Mundo, experitur, quantum injuriarum generosè hætenus prudentissimi, & prudentes generosissimi ferre possint. PHILIPPO IV. Regi Catholico, suum genium haud defraudans, dum pacem loquitur, nihil minus suspicanti, arma movit; &, Americam invadens, spei irritus, nova principia pravæ Politicæ fallax prodidit, æquitati scandalo non esse sub Polo Artico fidem colere, & prope Antarcticum fidem fallere, ceu membrum extimum unius corporis, quia extimum, si pateretur, sensus ad corpus integrum non pertineret. Sed nimirum, si violandum jus, regnandi gratia violandum est, in reliquis pietatem ferves. Talis Cromvellius, ore & more Julius, fidem adhuc apud Mazarinum Julium invenit, & in Flandriam invitatus ad Colli-<sup>\* Duinker-</sup> ecclesiam <sup>cken.</sup> Ecclesiam evertit, sedemque belli Mardicum insidens, exinde etiam forassis Occidentis, certè Orientis fini <sup>\* Ostende.</sup> (sine omne faxint Cælites) ferox imminet. Hoc auxilium cave Gallia, & ad hoc subsidium pave Gallia, ut quæ cavere & pavere (quod rursus ingero) à tot jam seculis Tuum in exitium erectam Angliam, Reges Biturigum jugiter meditantem, novamq; Franciam cum injuria possidentem, antiquè hætenus inter titulos numeranrem, è magna Britania Minorem in ipsamet Gallia.

Gallia prospicientem, ac in vicinia, & Continenti nunc incertum quid, secundum Cromvelli semper aliud agentis & aliud prementis mirum genium molientem, si sapias, debes, profecto sapiens & circumspecta potes.

Et sic sentimus qui statum etiam modernæ Galliæ, *potentia, opulentia, militia, peritia, Provinciis, viris, viribus, suis hostibus formidolosa, & formidantis neminem non ignoramus*; & scimus etiam, fastigium eiusdem longè à veteris Galliæ vestigio, & hodiernum Regem à Regibus Carolis VI, VII. machinatore olim malorum (sic enim eum Sycophanta quispiam vocare libuit) Philippo Burgundo, injuriis Angliæ Regum Henricorum V, VI. expositis, favore Fortune, manu puella restitutus, diversum esse: dubitamus tamen, *authoritatem, famam ac virtutem Galliæ, cura vacua, esse eiusmodi sua ut in manu arbitrium firmum habeat belli, pacis, sui cuiusque status, potentia in æquilibrio tenenda*; quasi supra fortunam esset Galliæ, non supra Galliam Fortuna.

Sanè Cicero, qui, si quis alius, quid interloquentiam, multiloquentiam, vaniloquentiam & eloquentiam interesset facundissimus sciebat, *æquum esse homini de felicitate, ut potestare Deorum, non arroganter, temerè & inverecundè multa, sed timidè & pauca dicere pro Lege Manilia perorabat*. Sapientiam philosophantem inculcare non audimus, id quod ad summum pervenit ad exitum propere, & quidem rarissime felicem?

*Quidquid præcipiti via  
Certum deserit ordinem  
Latum non habet exitum.*

Sic Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëtius; & ante Boëtium hæc prudens Stoicus, *omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere; id quoque, quod tenetur, per manus exit, & ipsam quæ premimus horam, casus incidit*. Scythæ Barbari Alexandrū Magnum, qui quoque se posse vinci à Dario victo discere victor potuit, admonebant; *Fortunam pressis manibus teneret, esse lubricam, nec invitans teneri posse; mox subdidere, sine pedibus Fortunam esse, ut qua manus tantum & pinnae habeat, manusque porrigens pinnae quoque, comprehendere non sinat*. Periodos ejusdem & vicissitudines querit Galliæ? Nostram Germaniam & nos Germanos meticolosa videat, quos (vãh dedecus!) nunc insolens exercet. Qui ipsam olim, Brenno duce, Romam exussimus, & Carbone, Cassio, Scauro Aurelio, Servilio Cepione, & M. quoque Manlio fufis vel captis, quinque simul Consulares exercitus Populo Romano; Varum tresque cum eo Legiones etiam Cæsari abstulimus. Quos non impu-

ne

Seneca E-  
pist. Cl.

Q. Curtius  
lib. VII.

Tacitus de  
Germano-  
rum.

ne C. Marius in Italia, Divus Jul<sup>9</sup> in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in nostris sedibus perculerunt, & qui C. Cæsaris ingêtes minas in ludibriū deinde vertimus. Qui, expugnatis Legionum hibernis, sub Vespasiano Gallias affectavimus, & à Romanis, Consule Romano teste, triumphati magis quam victi sumus. Qui Romanam Monarchiam Iulio Cæsari conciliavimus, & eodem teste, subactam Galliam sic exercuimus, ut ipsimet Galli *assuefacti à nobis superari, multisque victi praeliis ne se quidem ipsi nobiscum virtute compararent, neq; aciem oculorum* (ut dicit alibi.) Germani militis ferre possent. Qui Imperium Romanum multis seculis fatigantes tandem subiugavimus, & ex Cisalpina Gallia Longobardiam; ex Hispania Tarraconensi Gothalamiam, è Batica Wandalusiam, è Britaniæ parte maxima Angliam, & in Anglia Orientalem & Australem, si non & Occidentalem Saxoniam, ac è tota, quanta est, Comata, Togata & Braccata Gallia Franciam, victores fecimus; victamq; Galliam Germaniæ victrici junximus. Qui per Magnum nostrum Carolum, mensis ventosq; Germanicis vocabulis (ne Germanum quispiam fuisse ambigat) baptizantes, Romanum Imperium in Germaniam nostram traximus, perennantem hæcenus etiam in exustis Aquis Graniis Romanæ Aquilæ nidum struximus, & Christianissimi Ecclesiæ Romanæ filii Primogeniti (quibus titulis, ceu alienis plumis, usq; adeo nunc Gallia superbit) eandem Ecclesiæ Romanam *humillimè semper ac devotissimè coluimus, sapius afflictam tyrannide victricibus armis liberavimus, gementem & titubantem presentia nostra refovimus, refocam muneribus preciosissimis exornavimus, denique dominiis, quibus adhuc fruitur, amplissimis locupletavimus.* Qui Regum externorum arbitri in ipsa Lutetia Parisiorum Maiestatem Imperii, præsentè Regia, è tribunali quondam sparsimus, & Archicancellarios, non modo per Germaniam, sed & Italiam atque Galliam etiamnum exhibemus, ipsique Iulio imminenti in media Gallia generosè reposuimus, QUID AD TE QUID AGAT NOSTRA GERMANIA; nunc externorum arrogantia, unam tantum per discordiam, usq; adeò patemus ut è Gallia & Scandinavia huc Francofurtum in Germaniam, ad Electionem non vocati, exemplo hæcenus inaudito, terra marique venientes & navigantes, minis & imperiis instructi, sua (Legumlatores scilicet) mandata crepent. Vt jam Galli extra Galliam audaces in non fimo Germaniæ libertatem ad fastidium canentes & evertentes, non sine aurium nostrarum scandalo, audiamus, atque nimium intelligamus, non ut *Europæ libera, sed Germania sit serva, undique vigilare Galliam.* Ut alienigenas, media in Germania, superbis ac veritati non planè congruis memoria-

1. Cæs. lib.  
VI. de Bel.  
Gall.

morialibus importunos, suffragia huc usque libera sufflaminare modis  
 variis conantes experiamur; ac Bullam auream; per ventum aureum, bul-  
 lam facere (quorum culpa tradam in posterum) laborare videamus. Ut il-  
 lam Austriacam Augustam Domum, omni reverentia præsentis Maiestatis,  
 & Collegii Electoralis, cujus nobile membrum esse non ignorant,  
 inverecunde posita, invidiam, infidam & Dictatoriam, illis verè invidis  
 & infidis vocare libeat; cum rectissimè, si à dicacitate vel di-  
 cendo nomen dictatorium derivamus; præsentis domos Gallo-suecicas  
 dictatorias vocemus; & Austriaca, ob modestiam, cum Antigono in  
 Evergete, meritis calumniis auditis, benè sperare possit, quod Silenum in  
 castris habeat. Ut Germanos non germanos, hic propriæ nationis, pro-  
 pe dixeram & rationis, transfugas, ad calumniarum inania vulganda lili-  
 is corruptos, ministros exoticos (quò iisdem, omni sollicitate captata oc-  
 casione, fœdis adulationibus se probent) ceu Apollines semideumq; ge-  
 nus celebrare; contra Austriacos Germanos *in ferreis hostium arcanis in-  
 erospiciendis vere linceos; in rebus Domini sui pura integritate administrandis  
 primos, in eligendis melioribus, declinandis pejoribus, politicis; in Regis sui men-  
 te assequenda, feliciter exequenda industrios; in cuiusvis rei sententia sine cu-  
 jusquam ira ac studio aperienda, erectos*; non omnino tamen, præsertim si  
 cum Gallia tractetur, falli nescios, ceu titivilitium æstimare; & nonnemi-  
 nem, eorum sapientissima meditamenta non nisi semilia nugamenta, se-  
 num deliria & commenta, scriptis publicis, apud supremum Imperii Se-  
 natum, inassuetis, an iam assuetis, Germani auribus percipiamus. Ut  
 Conjuratos tranquillitatis nostræ hostes suis consiliis trans Balthin Hol-  
 mianis, & ad Sequanam, trans Rhenum, Luparanis, exitum non habenti-  
 bus nec habituris (prout fufius in sua paranesi ad Germanos, pro com-  
 muni patria, libertate, gloria tuenda, VVassenbergius indignatur) nos  
 innectere laborantes, jam hic ad Mœnum, apud Eminentissimos ac Se-  
 renissimos Electores nostros (quos & in scenam producere, ac personam,  
 nonnullorum magna cum injuria, ad suum libitum agentes loqui facere,  
 ipsorum Stipendiarii, nec Poetæ nec Oratores, è collectaneis non eru-  
 buerunt) longioris interregni, semper hæctenus Imperio Romano no-  
 xii, moras quærere intueamur. Et quid aliud anno 1619. quo Divus,  
 glor. mem. *FERDINANDVS*, Serenissimi *LEOPOLDI* Hungariæ  
 Bohemiæq; Regis Avus, Imperij Romani Caput parabatur? Autorem  
 nuper editum audiamus. *Ioannes Suvichardus Archiepiscopus Moguntinus  
 & Electoralis Collegii Decanus*, inquit, *audita morte Caesaris convocaverat  
 de more Francofurtum Septemviros, frustra Bohemis obstantibus, ne Ferdi-  
 nandi*

Brache-  
 lius lib. .1.  
 histor. sui  
 temporis

nandi, tanquam Regis Bohemia atque adeo Electoris eo in Conventus ratio haberetur. Non nemo etiam optabat, subdit, moras interregni longiores, rebus turbandis perquam idoneas, monebat ne Electio precipitaretur, componenda ante dissidia, tollendas controversias, tum rectius eligi, cui pacatum Imperium traderetur. Sed nimirum tum Electores maturandam omni ope rem censuere, & nihil luctuosius Imperio Romano evenire posse judicantes quàm si diu sine Rectore relinqueretur, Reipublicæ Christianæ de convenienti Capite prospexere. Idem, procul dubio, nunc agent sapientissimi ac generosissimi non minus quàm Eminentissimi ac Serenissimi Electores nostri, quò ingens hæc Germaniæ nostræ machina sub uno Capite Orbi reliquo rursus formidabilis coalescat, & Germani externis in Germania non viles eorum insolentiæ hic Francofurti non pateamus, discatq; Suecia, nec non & Gallia, Germaniam & Fortunam in Germaniæ nostræ facie reverentius habere. Tu vero, quisquis ille es, inverecundè scriptor, ab hac catastrophe fortunæ nostræ iam circumspicior quoque disce modestius adulari, haud ignarus nulli fortunæ minus quam optimæ credendum; neque *Mazarinum Galliam in fortuna retinere posse, minimè fortunam in potestate.*

*Nemo confidat nimium secundis,  
Nemo desperet meliora lapsis,  
Res Deus nostras celeri citatas  
turbine versat.*

An nescis petulantem Gallum à Britanno, ecquando Angli in Galliam reversuri essent per insolentiã petiisse, & respòsum æquum, cum Galliæ peccata, quæ iam Galliæ non desunt, suæ Britanniæ potiora essent opinione Gallorum citius reverfuros, retulisse? Crede Angliam ut recuperet quod semel habuit vigilare semper; nec omne seculum Iohannes ferret. Atqui *Mardicum*, ais, non est *Mardritum* (Madritum, nebulo, debas dicere) & Mardicum scio Carpetanorum Mantuam non esse: sed quis, obsecro, verè politicus, nec tibi similis, Mardicum ob Mardicum, & vallum arenaceum ob vallum arenaceum à Cromwello ambitum judicet! quod si sit, prout refers, nunc (prò dolor!) religionum vacuum confederationi Gallico-Anglicanæ debet. *Ast non est boni vari, sed facti effatum*, inquis, tot *Casus eventusque ex Mardico Anglis cesso pradicere, Cromwello ne per summum cogitatos.* Quis est hic qui miscet senten-

rias sermonibus imperitis, & cui Oliverius sic est apertus ut & illi Cromvelliiana somnia pateant? Qui commodum & fortunam, prout hæcenus ostendit, non nisi unicam suam quærit, aliorum omnium fortunis imminet, atque commodum aliorum omnium eversum optat. Jam & cum furibunda illa vesanè quasi exclamare;

*Electere si nequeo superos Acheronta movebo;*

ac omnem vel ullam religionem in fœderibus nullam velle, id nos e-  
quidem secundum impiam rationem status, non rectæ rationis statum  
religiosus interpretemur. Sed nimirum Rex Catholicus certis (fateor)  
non tamen illis quas sycophanta tradis, conditionibus fœdus Anglicum  
quæ sivit; at tamen (Cromvellido crede Gallia) Hispaniã decepit. Quam  
interim Rex Catholicus & Cromvellius religionem & regionem (longè ab  
intentione Gallica diversi) quærant, per Alphonsum de Cardenas Hispani-  
cũ Legatum liquet, qui Oliverio dicenti, *amici erimus si Rex vester illam  
Tyrannicã* (sic appellabat) *inquisitionem abolere, totamque per Hispaniã, nec  
non & Indias Puritana religionis liberum exercitium indulgere velit,* pruden-  
tissimè respondit; *habet Rex, Dominus meus Clementissimus, duos oculos, Fi-  
dem Catholicam & huius eiusdem conservanda curam, quos ut eruat hac ini-  
qua pace, & dein cæcutiat, non est consilium Quirites.* Religionis ergo qui-  
dem jugulum Cromvellus, at vel maxime religionis quærit, quam ut in  
Flandria nunc oppugnat, sic in Britannia profligat, & in utraque Nero,  
eruoire martyrum adhuc madidus, absens etiam nova hæcenus & inaudita,  
ac post Calvinum denique Calviniana dogmata, iuxta Catholicis, Au-  
gustanis ac reformatis noxia, in penitioem Germaniam (ut in vicinia  
videmus) promover. Sanè si zelum Cromvelli, si mentem, si astuti-  
am, si factiones consideremus, Orbis, nisi resistimus, est Puritanus. Ca-  
vendum nobis ab hoc fermento ne totam massam Imperii; cavendum  
Galliæ ne Franciam corrumpat, & protectorem aliquando Hugonota-  
rum idem Angliæ protector agat. Habet prudens & circumspècta,  
quæ securam; vigilans, quæ dormientem, & Ecclesiastica, quæ secula-  
rem, prout cœpit, porro excitet, ne dirus Aper nimis latè quàm sisti pos-  
sit vineam Domini, pastus liliis, depascat. Nec hac in re (si sapiamus)  
mercede auctoratum Calvinistam protectorem Protectoris (quem &  
nullius turbasse pacem, qua fronte nescio, mendax asserit) audiamus, ut  
qui vim facere veritati paratissimus, adulator emprus illos etiam à religi-  
one palam celebrat quos nec *religionem in fœderibus, nec fœdera in fide,*  
nec *fidem in pactis* religiosè hæcenus servasse manifestum est. An nesci-  
mus certæ dignitatis Religioso, & tum tēporis Conventus sui Superiori,

de conciliata pace Germaniæ congratulanti, Abelem de Servient, verè servientem, summi Gallici Ministri usq; ad invidiam imo & iniuriam aliorum intimum, Monasterii respondisse; *imo pater habetis pacem, sed nimirum non nisi secundum potentiam interpretantium validam ac firmam.* Non sumus mancipia oris nostri nonne publicè crepat Gallia? cuius oracula vana semper cum Sole occidunt, & secundum fortunam alia cum Lucifero matutinis sub crepusculis oriuntur. Et quàm religiosè religionem curet, & Catholicæ prospectum velit, tot Archiepiscopus & Episcopus hac nostra in Germania testantur, quorum duos *Franciscus Guilielmus* Ratisbonensis, Osnabrugensis, &c. Princeps & Episcopus unus perdidit, atque tertium alternaturum videt. Idem fatum ac eundem statum pavet Flandria, timet Brabantia, horret Belgium, nobilissimum Imperij Romani membrum, & Germania reliqua cum vicina Gallia pavere, timere & horrere potest, nisi irruptentis audaciæ, & Puritanæ Hæreseos impuræ promptitudinem castigemus. Ibi sistendus est Cromvellius ubi Angliam in Flandriam, Brabantiam, Belgium, & Germaniam magnis classibus exponit, ne, si præceps imperus objecto obice non sufflaminetur, videamus tandem ab Independentibus, Coronarum omnium ac religionum hostibus, omnia pendere. Hoc è Vaticana specula sua Sanctitas, *ALEXANDER VII.* (qua est sollicitudine & cura) à longè prospicit; & ne quid Ecclesia Christiana detrimenti patiatur ut provideant Orthodoxi Principes Paternè monet; cuius sacris desideriis suffragari an non æquum videatur supremus noster Imperij Senatus, & præsertim Ecclesiasticus, perpendat. Cum Deo sanè periclitantibus num subsidium negare fas, & num submittere sit nefas, quisvis facilè, nisi saltem Cromvellianus ac puritanus, determinabit, ac juvabit ne Cromvellius nocere amplius, qui tectus, obfuit, detectus possit.



SPECIMEN  
GALLIÆ  
FALLINESCIÆ,

**T**Ribunus militum Spintelerus, Gente Belga, Johanni AVSTRIACO Regis Catholici Hispano - Belgio potestate Vicaria Præfecto, clam promisit, se, si placeret, non minus Galliam quàm Britanniam, utut astutam, publicè in triumphum strategemate ducturum. Voti compos novus fere Zopyrus, quò magis falleret, se vinculis constringi, & quasi reum condemnari passus, noctu in speciem effracto carcere ad Cromvelliùm profugit, multumq; de iniuria conquestus, Ostendam se per fratrem & Senatum populumq; secum sentientem, & Hispanicum præsidium fastidientem, traditurum constantissimè promisit, & argumentis variis fidem fecit. Oliverio decepto, Cardinalem Mazarinium aggressus hunc & facilius in fraudem traxit, usq; adeo ut Mazarinum inter & Cromvelliùm multis litteris longo tempore altercatum sit, quis Ostendam, fiducia jam interceptam, suo præsidio muniret. Postquàm tandem inter illos certis conditionibus convenit, missi cum Spintelerio Centuriones, securi Commissarii, Ostendam intravere, in curia præsedere, & Senatu cunctisq; consciis, ad ipsosmet usq; pueros, suam singulis personã ad majus ludibrium versutæ Galliæ, egregiè agentibus, conclusum ut custodiæ Gubernator, subornatus scilicet, quem verum tamen Galli exultimabant, traderetur. Eo facto, D' Aumontio Ductore, in naves Gallia properavit, quæ & (eiusdem astu, providentia, prudentia, perspicacia, totis octo mensibus, per Hispanicam & Spintelerianicam, modis viisq; variis mille millies elusa) eventu noto, portum subiit, Mox etenim securi Galli, Ostendam Urbem, quam ut caperent, &, sublata libertate, servire facerent, navigarant, ipsi capti, ridenda catastrophe, liberam implerunt. Inunc, & Galliam falli nesciam fortunam quoq; in potestate retinere posse adulator impudens & imprudens jacta; recentissimum exemplum habes: nam, ut fileam de Catalonia, ostenditur in Ostenda.